



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Oratio F. Francisci Orantii Hispani, Habita in sacra  
œcumenica Synodo Tridentina, die celeberrimo  
Sanctorum omnium, anno 1562**

**Orantes, Francisco de  
Venetiis, 1563**

Kolophon

**urn:nbn:de:hbz:466:1-31441**

mesicos ciues. Ne sit terra uestra maledicto proxima,  
quæ tot filios benedictionis protulit. Sed & uos Christi  
sacerdotes, Ecclesiæ patres & sponsi (ad quos filij Ecclesiæ  
undique collecti nunc populati & innumeris uexati malis  
1. Mac. 2. publicè confluent) cogitate per generationes singulas,  
quoniam qui iustitiam induunt, non infirmantur. Iosephi  
dum eam custodit, inter tētrimos carceres, angustosque  
compedes, creatus est terræ princeps. Phinees cùm hanc  
zelat, accepit testamentū sacerdotij æterni. huius iustitiæ  
dū amore incenditur Elias, raptus est in cœlum. Qui iu-  
stitiā sit saturabitur: qui propter eam aduersa sustinet,  
copiosam in cœlis habet & multam repositam mercedem.  
Vos populi prophetæ, principes nostri, & duces, Dei seque-  
stri & arbitri, diuini uerbi uasa & receptacula prima, præ-  
dicatores, & cognitores scripturarum, Dei uoces, testes  
uoluntatis diuinæ, uos habet, sanctissimi domini Christi  
spōsa ueros, ac legitimos pastores: uos sacratori ordina-  
tione supra reliquos sacerdotes iam à primis ipsis Aposto-  
lorum temporibus, Deo sacrati estis. Quorum imaginem,  
si Dei sacerdotes expressam reddiderint, sicut & Apostolo-  
rum ipsorum sustinent personam, mox conuentus ille felici-  
cissimus, supremique capitolij senatores, quemadmodum  
& solent super uno peccatore pœnitentiam agente gaude-  
re; sic super uniuersa Christi Ecclesia; diem festum illi  
agent in condensis suis, postquam uiderint sceptrum tene-  
re in ea iustitiam, diuinæ regnare leges, antiqua dogma-  
ta uigere, Christianis moribus suum locum assignari: ni-  
minumque exultabunt. Ut uerum sit omnino quod in psal-  
mo legitimus, Sacerdotes tui domine induātur iustitiam, &  
sancti tui exultent. Tantum exultationis & latitiæ accre-  
scat iis, quantum illis sanctificationis & iustitiæ. Sed &  
uos sacerdotes sanctissimi, uestræ peregrinationis à Chri-  
sto exilio consummato, iustitiam induti, beati & sancti  
exultabis mercede magna nimis, accipientes gloriam  
ingentem, & nomen æternum. Dixi.

VENETIIS, ex officina Iordanii Zileti, ad signum Stellæ.

M D L X I I I.